



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. IILITTERAE APOSTOLICAE*CHRISTI ASSECLAE*BEATA MARIA V. SUB TITULO «OUR LADY OF THE SOUTHERN CROSS»

PATRONA APUD DEUM DIOECESIS TUUMBANAE CONFIRMATUR Ad perpetuam rei memoriam. - Christi asseclae qui dioecesim Tuumbanam in cara terra Australiana incolunt, Beatam Mariam Virginem sub titulo « Our Lady of the Southern Cross » a clara veneratione prosequuntur atque, Ea intercedente, caelestium gratiarum copiam sibi exposcunt. Ipsorum praesertim animarum utilitate permotus, Venerabilis Frater Vellelmus Martinus Morris, Episcopus Tuumbanus, communia cleri populique vota excipiens, electionem Beatae Mariae Virginis in Patronam apud Deum dioecesis suae peregit rite, atque petivit ut huiusmodi electio ab hac Apostolica Sede confirmaretur. Nos vero comprobatis iis quae Congregatio de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, facultatibus a Nobis factis, hac in re egit, Apostolica Nostra potestate Beatam Mariam Virginem sub titulo « Our Lady of the Southern Cross » Patronam apud Deum dioecesis Tuumbanae confirmamus, omnibus factis iuribus ac liturgicis concessionibus secundum Instructionem « de Calendariis particularibus atque Officiorum et Missarum Propriis recognoscendis », n. 30. Ceterum volumus ut hae Litterae Nostrae religiose serventur suosque plenos effectus sive nunc sive in posterum consequantur. Contrariis quibuslibet rebus non obstantibus.*Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XIV mensis Novembris, anno MCMXCVIII, Pontificatus Nostri vicesimo primo. De mandato Summi Pontificis*

ANGELUS card. SODANO © Copyright 1998 - Libreria Editrice Vaticana

©Copyright - Libreria Editrice Vaticana